

QUID VENIT NOMINE 'INDULGENTIAE'

Quoad nomen: Indulgentia clementiam seu remissionem significat.

Quoad rem datur definitio in Codice Iuris Canonici in canone 911: Omnes magni faciant indulgentias seu remissionem coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii.

Habemus in canone 911 completam et accuratam notionem indulgentiae quae proinde his elementis constat:

1. *remissione poenae*, non culpae, quia culpa, etiamsi venialis sit, per indulgentiam deleri numquam potest. Ad culpae enim remissionem, sive mortalis sive venialis, vel formalis vel saltem virtualis actus detestationis eius qui peccavit infallibiliter requiritur.¹

2. *poenae temporalis*, nam poena aeterna solum per absolutionem sacramentalem vel per contritionem perfectam remittitur.

Sic Sanctus Paulus in Epistola ad Romanos ait: 'Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu... Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei'.² Ergo illi, quibus remissa sunt peccata, habent in se Spiritum Dei et sunt filii Dei, quod non essent si remaneret in eis reatum seu debitum poenae aeternae. Insuper explicite docet Concilium Tridentinum 'satisfactionem non deberi pro poena aeterna, quippe quae vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpa remittitur'.³ Et iterum docet poenam temporalem expiandam in hoc mundo vel in purgatorio per poenitentias, orationes et praesertim per indulgentias.⁴

Tandem remissio culpae est actus iustitiae, dum indulgentia est actus gratiae seu indulgentia datur ex misericordia et benignitate Ecclesiae.

Sed non semper tota poena temporalis remittitur una cum poena aeterna. Nam constat ex variis locis Sacrae Scripturae Deum peccatoribus, culpa iam remissa, mala temporalia in poenam illius infligere. Sic propheta Nathan ad David: 'Deus transtulit peccatum tuum, sed filius morte morietur'.⁵ Mors filii, iuxta commentatores, erat poena temporalis pro peccato

¹ Cfr. WERNZ-VIDAL., *Jus Canonicum*, Romae 1934, Romus IV, p. 172

² Rom. VIII, 1. 14.

³ Concilium Tridentinum, Sess. VI, cap. 14.

⁴ Concilium Tridentinum, Sess. XIV, can. 12. - Cfr. Bulla 'Exsurge Domine' Leonis X, 15 iun. 1520, prop. 17 Lutheri damnata.

⁵ Regum II, 12. 14.

David. Insuper tota doctrina circa existentiam purgatorii fundatur in praesupposito principio quod de peccatis seu culpis iam remissis adhuc maneat expiatio poenae temporalis persolvenda. Haec veritas ex traditione et Patribus confirmatur. Sanctus Augustinus triginta annos post mortem matris suae Sanctae Monicae orationem scripsit eamque saepissime recitavit pro solutione poenae temporalis matris per modum suffragii.

3. *coram Deo* et non solum coram Ecclesia, scilicet non in foro Ecclesiae tantum, sed etiam in foro Dei fit remissio poenae temporalis. Iam multi, praesertim vero Lutherus, circa hanc veritatem erraverunt, remissionem per indulgentiam acceptam in solo foro Ecclesiae effectum habere existimantes. Quae doctrina damnata fuit a Papa Leone X in Constitutione 'Exsurge Domine', die 15 iunii 1520. Aliquando dicitur culpam seu peccatum per indulgentiam remitti. Hoc ita intelligi debet, quod poena peccati remittitur non vero ipsum peccatum seu ipsa culpa.⁶

4. *ex thesauro Ecclesiae*. Thesaurus Ecclesiae est cumulus seu depositum potissimum satisfactionum meritorumque Christi, secundo Beatae Mariae Virginis, Sanctorum ferventiumque animarum.⁷

Indulgentiae distribuuntur ex isto thesauro; ergo indulgentia non est tantum actus iurisdictionis remittentis poenam ex potestate divina, sed est etiam solutio seu exhibitio alicuius pretii et praestatio satisfactionis loco illius satisfactioni, quam persolvere deberet ille cui indulgentia conceditur. Ecclesia sumit merita et satisfactiones Christi et offert ea Deo pro remissione poenae, quam fideles subire deberent. Solum Ecclesia potest dare indulgentias, quia sola Ecclesia est meritorum Christi administratrix.

5. *pro vivis*, per modum absolutionis seu per verum actum iurisdictionis. Propter hoc requiritur semper subiectum capax, i.e. membrum Ecclesiae, quia potestas iurisdictionis in solos subditos exerceri potest, ac proinde arcentur ab indulgentiis obtinendis tam infideles quam ii omnes qui non participant cum communione Sanctorum propter aliquod impedimentum v.g. excommunicationis vel apostasiae.⁸

6. *pro mortuis*, per modum suffragii et non absolutionis, quia defuncti subiecti iurisdictionis Ecclesiae non sunt, ideoque indulgentia ipsis applicatur tantum per modum suffragii, i.e. Deo deprecando pro ipsis, et hoc fieri potest quia defuncti participes sunt in communione Sanctorum

⁶ CAPPELLO F., *De Sacramentis*, Vol. II, p. 661, n. 638

⁷ REGATILLO E., *Ius Sacramentalium*, p. 387, n. 692.

⁸ WERNZ-VIDAL, *Ius Canonicum*, Tomus IV, p. 174, n. 150.

cum adhuc membra Ecclesiae patientis sint.⁹

Tria elementa reperiuntur in indulgentia viventi concessa:

1. *absolutio*, totalis vel partialis, a poenis;
2. *solutio* debiti ex thesauro Ecclesiae;
3. *opus bonum praestandum*, quod est tamquam conditio.¹⁰

Notandum est in iure antiquo, praesertim vero in iure Decretalium raro fit usus verbi 'indulgentia', sed fere semper verbi 'remissio'.¹¹

Differentia absolutionem inter et solutionem haec est: absolutio est remissio culpae vel poenae per actum iurisdictionis ab auctoritate competenti facta, dum solutio est exhibitio pretii.

Tandem indulgentia est plenaria vel partialis. Plenaria totam poenam, remittit, iuxta intentionem concedentis, sed potest tantum partialiter obtineri secundum dispositionem subiecti. Partialis indulgentia conceditur cum designatione temporis, scilicet dierum vel annorum.

Sancta Sedes per hanc designationem non intendit poenam purgatorii tamdiu breviari, sed iuxta omnes auctores per indulgentiam partialem, v.g. unius anni, condonari tantum poenae quantum per antiquas poenitentias canonicas uno anno protractas condonabatur.

P. ODORICUS DE'MARIA, O.F.M. CAP.

⁹ opere citato, p. 175, n. 152.

¹⁰ CAPPELLO F., *De Sacramentis*, Vol. II, p. 662, n. 639.

¹¹ WERNZ-VIDAL, o.c. p. 178.